



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

97. Considerando Passionem Domini, cum variis modis compensandi eam
Christo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

MODUS XCVII.

Nonagesimus septimus Modus Passionem Dominicam meditandi est, de variis & salutaribus Modis Passionem Domini compensandi ipsi Christo.

Fundamentum hujus usûs ac simul meditationis, est notitia Passionis Domini nostri, quæ non tantum complecti debet cognitionem historicam eorum quæ Passus Dominus, verum etiam conditionum & circumstantiarum inter hæc intervenientium: v. g. Dignitatis, Innocentia, Justitiæ, Misericordiæ, Beneficentiæ, Sanctitatis, Potestatis ejus, qui Passus est: è contra Malitiæ, Vilitatis, Odii, Invidiæ, Virulentia, Ingratitudinis horum, à quibus passus est. De quibus conditionibus, aliisque pluribus, sicuti & de causis Passionis, in superioribus satis actum est.

Notitiam hanc fides comitari & perficere debet, Fides inquam Divina & supernaturalis, ut nempe credamus, hæc quæ Passus est Dominus noster omnia, & credamus, eum Passum esse Deum-Hominem, ex amore Patris Æterni atque obedientia, ex amore quoque nostri propter Patrem Æternum; ex amore, inquam salutis & Redemptionis nostræ, à morte peccati, à morte corporis, demumque à morte æternæ damnationis; propter eximendos nos à diabolica potestate, propter conciliandos nos Deo, & pro acquirendo nobis Beatitudinis æternæ Regno. Nullo nostro merito apud Deum, imò inter multa demerita nostra. Nullo fructu Christi neque

neces-

g: ~~2~~
 hic
 opere:
 JOM
 N
 5

necessitate; sed solius charitatis & miserationis
ejus super nos; inductione. Tum etiam adim-
plenda veritatis figurarum, promissionum, præ-
dictionumque gratiâ: Quæ omnia credenda
sunt propter revelationem à prima veritate fa-
ctam, Ecclesiâ Dei proponente.

Fidem, sequi debet æstimatio & appretiatio
eorum, quæ Dominus noster Passus est. Tantus
nimirum, & tanta, & pro tantillis, & pro tantis
nostris bonis atque comodis; & quibus nulla
possit assignari ne quidem in minima proportio-
ne æstimatio, ne dum compensatio. Hæc æsti-
matio, & appretiatio Passionis & eorum quæ
Passus est Dominus, quanto erit major & viva-
cior, & condignior (nulla autem esse unquam
potest, poteritve adæquatè condigna, ne qui-
dem ab omnibus Creaturis) tanto nostra, ad, &
circa, Passionem Domini, ipsumque Passum
Dominum, occupatio, & affectio, erit, & Deo
Christoque gratior, atque gloriosior, & nobis
salubrior, utilior, meritisque & virtute Passionis
ipsius gravidior.

Hanc æstimationem & appretiationem Pas-
sionis Domini comitari, & velut fermentare,
perficere ac vegetare debet, Amor reciprocus
Passi tanta, propter nos tales, tanti Domini, at-
que Dei nostri. Amavit nos viliores ipsâ vilitate
vermiculos, amavit inquam nos charitas, ama-
vit immensitas, & amavit tam ardentem, tam
potenter, tam profusè atque prodige: falem
ergo rependamus vicem cum mensura, cum
mensura, cum mensura, tamen semper ple-
niori, semper ardentiori, semper superfluen-
tiori.

Uu 4

Amori

SPUR:
KI
asceti
cis III
V
8

Amori porrò & æstimationi, ne forte sit sterilis, adjungatur recompensationis cura, atque recompensatio ipsa, quæ remordebat Davidem cum dicebat. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi*: non tantum dando mihi beneficia sua, sed faciendo etiam beneficium meum semetipsum: & faciendo per Amaram, per Infamem, per Indignam, per Enormem, per Parricidalem, per Ingratissimam, per Excessivam, per infinitis modis exaggeratam, tam ex parte Charitatis Dei, & Christi, quam ex parte indignitatis nostræ, quam ex parte virulentia furorisque inimicorum, quam ex parte summorum omnemque æstimationem infinitis evincendum fructuum suorum, Passionem. Ejus recompensationis modum unum precipuum, ac tum sibi gratissimum, tum nobis saluberrimum designavit atque demandavit nobis ipse Dominus dicens. *Hoc facite in meam commemorationem*. Significans oblationem Sanctissimi Sacrificii ex pane, & vino, in quo representetur, atque etiam repetatur universa Passio & Mors sua, sacrificiumque cruentum à se in cruce perfectum, esse, & fore sibi convenientissimum, gloriosissimum, gratiosissimumque modum, quo ei Passio sua universa cum morte poterit, ac debebit à nobis usque ad consummationem sæculi recompensari.

Huic modo vicinus, imò conjunctus, atque pars ejus, est Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti devota, famelica ardens, nec infrequens, semper autem charitate atque humilitate sublimior, atque perfectior sumptio, & manducatio.

Tertius

G: ~~Z~~
 hic
 opere
 Tom
 Ne
 5:

Tertius modus recompensationis est; Meditatio atque recogitatio jugis, & quàm fieri potest perennis Dominicæ Passionis. Ad hoc est enim institutum Juge sacrificium Missæ in Ecclesia sua ab ipso Christo, ut nulla dies esset in tota Ecclesia Christi, quâ in hoc Sacrificio non repræsentaretur à Sacerdotibus, & non recoleretur à fidelibus Passio & Mors Domini Salvatorisque nostri. Hoc etiam vult sibi monitum illud Apostolicum. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversum semetipsum contradictionem.* Sicuti & illud aliud, Divinum pariter. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaaberis in eo diebus ac noctibus.* Ad quod meditationis ejusque materiæ genus aspirabat vehementer Beatus Job, dum ita anhelabat: *Quis mihi tribuat auditorem? ut desiderium meum audiat omnipotens, ut librum scribat ipse qui judicat. Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum; & quasi Principi offeram eum.* Quibus votis suis Beatus Patriarcha, non solum vota sua ad meditandam Redemptoris sui Passionem exaggerat, verum etiam modum, etiam affectum, etiam effectum, & fructum, quo meditaturus sit, eximie denuntiat: in quo toto negotio æquissimum est, ut eum nos quoque imitemur: non solum memoriam aut mentem meditatione Passionis Christi occupando, verum etiam humerorum robore, manuumque labore, sine lassitudine, & requie, dignas Christo Crucifixo operationes, imò verò & Passiones suscipiendo, & sustinendo: cum ea mentis corporisque etiam hilaritate, & promptitudine, ut planè absit nobis

Uu 5 gloriari

Druck:
Ki
2800
115 III
V
8

gloriari in ullo alio, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi. Sed ipse sit nobis Corona Capitis, ipse merces laboris, ipse præmium sufferentiæ propter ipsum: proficiendo semper in hoc studio: & gradus atque ascensiones in ejus decursu faciendo, superando, transcendendo, ut sic quàm maximè Princeps Crucifixorum formetur Christus in nobis ipseque sit sibi veluti munus, ac præmium, & pignus suum in nobis, à nobis.

Præter hos modos Compensationis Passionis Dominicæ, est Gratitude atque Actio gratiarum: actio inquam, talis scilicet, quæ non solum animo & memoriâ gratias cogitante, nec solum ore gratias fundente, sed multò magis operatione assiduâ, singulari, exquisitè devorâ & liberali, gratias pro Passione (quæ gratia gratiarum, & omnium fons gratiarum est) exhibente perficitur. Hoc enim genus, & hic modus gratiarum actionis, tum perfectissimus, tum Christo Domino debitissimus juxta ac gratissimus est. Opera gratiarum actionis præstare, atque (ut nuper dicebam) in humero Passum JESUM, & Passionem circumferre, animo & spiritu gratitudinis indefinens, nec unquam sibi satisfaciens plenissimo, & ditissimo. Et possunt quidem incensum operum gratiarum actionis venire omnia vitæ nostræ opera, etiam ex se indifferentia (tantummodò non ex se, modo ve agendi mala & depravata) bonitate intentionis idoneæ imbuta, & sublimata: nihilominus præcipuum hic locum, primamque gratiam obtinent opera tum Pœnitentiæ emendationisque morum: tum exercitationis virtutum & perfectionis, tum Patientiæ, sive voluntariè susceptarum afflictionum corporis aut animæ,

G: ~~2~~
 hic
 opere
 Tom
 Ne
 5:

animæ, sive etiam aliunde, (à Deo puta, aut à Creaturis, permittente Deo) oblatarum, atque in fortunas, in corpus, in animam, in Spiritum, in honorem, in libertatem nostram, vel eorum quinos tri sunt, incidentium adversitatum, ærumnarumque. Quarum toleratio cum Christiana magnanimitate, (scilicet modeste, mansuete, humiliter, hilariter, libenter, avidè, & cum gustu, constantia, ampliorumque desiderio, eorum quoque qui authores fortè sint, amante, ac omne malum in bono vincente animo) suscepta & perfecta, atque Christi Passionis amore & imitatione condita, ipsiusque Christi gustui exhibita: superat omne, quidquid præsens vita gratum, pretiosumque Divinæ offerre prævalet Majestati.

Quintus Modus Recompensationis Passionem suam Domino JESU Christo, est ille Apostolicus, sive ille quem Paulus Apostolus, neque is solus, sed pariter cum omnibus Apostolis, & cum his omnes Apostolico officio, animo, laboribusque præditi, & exerciti, jam inde à nata Christi Ecclesia, usque huc tenuerunt, & ad finem sæculi tenebunt. Graphice illum Apostolus Paulus denarrat, cum ait. *Nunc gaudeo in Passionibus pro vobis, & (seu, quoniam) adimpleo ea que desunt Passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Laborare circa conversionem animarum ad Deum, & circa salutem perfectionemque conversarum jam, atque credentium in Christum, desudare, eoque nomine persecutiones, tribulationes, cruces, verbera, vulnera, mortes, vel exilia, proscriptiones, maledicta, calumnias, censuras, detractiones, irrisiones, oppugnationes, impedimenta, falsa testimonia,

SPUR
 Ki
 ascel
 LIS III
 V
 8

monia, & interpretationes, labores, sudores, fatigationes, libenter & infatigabiliter devotare, atque cum Apostolo, filios, iterum iterumque Christo parturire, donec Christus in eis formetur, & crescat in viros perfectos, in mensuram aetatis plenitudinis virtutum suarum: id vere est compensare Passionem suam Christo: imò id vere est supplere & adimplere ea quæ defunt Passionibus, & cruce, atque Morti Christi, defunt autem ad hoc, ut Passio, & Crux, & Mors Christi, ex se se licet per omnia satisfactioni pro toto mundo, quin & pro infinitis mundis superexcessive sufficientissima, tamen quantum ad suum effectum, & effectus propagationem, applicetur hominibus re ipsâ, & in Ecclesiam, quæ est Corpus Christi, itemque in Ecclesie filios, qui sunt membra corporis, cujus caput est Christus, deriveretur; quæ applicatio Passionis & Mortis Christi, atque ejus derivatio in Ecclesiam, & filios Ecclesie, non est facta actualiter ab ipso Christo, qui *resurgens ex mortuis, jam ultra non moritur*, neque patitur in semetipso, suaque persona: sed faciendum disposuit, & commisit Apostolis, & eorum Successoribus in Apostolatus munere, & opere, per omnes gentes, per omnia tempora, quibus annuntiandum fuit, & est, Evangelium simulque Passionem, & Mors, atque Crux Christi, ejusque efficacia applicanda, & derivanda in omnes Ecclesie partes, & filios, usque ad sæculi consummationem. Quæ annuntiatio Evangelii atque mortis Christi, applicatioque, & communicatio virtutis & efficacie ejus, quia non poterat, neque debebat esse absque laboribus, & tribulationibus, & persecutionibus, & passionibus, cadibusque,

Rom. 6. 9.

g: ~~III~~
 hic
 opere
 Tom
 Ne
 52

tam Apostolorum, quàm Apostolicorum Successorum, uti & Christus prædixerat promiseratque, & re ipsâ eventus docuit, & in hanc usque diem docet, ac porro ad finem mundi docebit, ideo Paulus confors & particeps factus laborum tribulationumque pro nomine JESU Christi, proque conversione gentium, & pro conversis jam ad Christum, nec non pro congregatis ad Ecclesiam Christi, fidenter affirmat de se. *Nunc gaudeo* *Colof. 1.20.*
in Passionibus pro vobis, quoniam adimpleo ea, quæ defunt Passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Passus est Christus redundantissime ad satisfactionem reconciliationemque totius mundi. Passus est Apostolus, omnesque Apostoli, & omnes Apostolorum affectæ passi sunt, habentque necesse pati, ut ipsa Passionis Christi satisfactio, & efficacitatis ejus communicatio, fiat pervadatque in homines, in gentes, in Ecclesiam, in ejus filios, in membra corporis Christi, cujus caput est Christus. Et omnes quicumque aliquando, & alicubi, annuntiaverint Christum, propterea persecutionem patientur, propterea adimplebunt in carne sua, & in personis suis, ea quæ defunt Passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Christus enim, sicut salutem hominum non nisi per humiliationem, & exinanitionem sui, non nisi per Passionem crucis & mortem, non nisi per charitatem, quâ animam suam posuit pro nobis adhuc inimicis, peragere voluit, ac re ipsâ peregit: ita hujus ipsius salutis humanæ per se peractæ, in homines derivationem, atque communicationem non aliter peragi voluit, ad usque finem mundi vult, nisi per humiliationes & contemptus, per tribulationes.

SPUR
 Ki
 ascel
 LIS III
 V
 8

nes, & persecutionum passiones, per dilectionem ipsâ morte fortiorem, eorum qui pro Christo iungentur & fungentur legatione ad homines, inquam Deo exhortante per eos: *Reconciliamini Deo*

Quisquis ergo ex Amatoribus Christi, vel pro conversione infidelium quorumcunque ad Christum, vel pro conversione peccatorum ad poenitentiam melioremque vitam, vel pro conservatione aut promotione bonorum & iustorum ad sanctitatem vitæ perfectionemque virtutum, vel pro persuasione amplectendorum consiliorum Christi, vitæque mundo contemptæ, & simul mundum contemnentis, atque crucem Christi amplectentis, & jugiter in corpore suo circumferentis, vel quovis modo in salutem æternam proximorum suorum, docendo, prædicando, confessiones audiendo, rudimenta fidei Christianæ, rudibus tradendo, hæreses & errores confutando, vitæ Sanctæ exempla præbendo, virtutum opera ad ædificationem aliorum faciendo, Dei gloriam promovendo, offensas Dei, legisque ejus Sanctissimæ violationestollendo, aut impediendo, denique sobriè, justè, & piè vivendo, sicque perseverando, propter Christum crucifixum constanter & ardentè satagit & laborat: is indubitatè adimplet ea, quæ defunt Passionum Christi in carne sua, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Omnes enim qui piè vivere volunt in Christo, persecutionem patientur, quod si hi, qui solum ipsos se piè vivere in Christo curant, ista fors manet, quantò magis omnes eos, qui non solum semetipsos, sed & quam plurimos alios contentantur*

G: ~~II~~
Bic
oper:
Tom
Ne
5

dunt insatiabiliter adducere ad fidem, spem, dilectionem, mortificationem, obedientiam, patientiam, imitationemque Christi crucifixi, privilegium, (sed & præmium) tolerantia persecutionum, nec non gratiâ atque gloriâ adimpletionis in carne sua Christi Passionum, eadem conditio expectat.

His ergo modis potest à quolibet devoto Passionis Christi Meditatore compensari salubriter Passio Christi, ipsâ Passione Christi, seu Passione pro Christo, ad quod enixè constanterque præstandum excitare cujusvis animum meliùs sufficientiùsque nihil ex parte nostra potest, ac debet, quàm ipsa fervens, devota, & frequentata Passionis meditatio.

MODUS XCVIII.

Nonagesimus octavus Passionem Domini meditando Modus esse potest: Meditando dediscere ex ea Spiritum hujus mundi, persuasionesque amatoribus mundi usitatas: addiscere autem Spiritum Christi verum, & proprium, ut ad normam ejus tum sapiamus, tum vitam præsentem vivamus. Frequens est hæc meditando Passionem Domini ratio apud Patres, & absolutè breviterque loquar, in hunc ferè potissimum finem, suas de Dominica Passione cogitationes, tractationesque destinare consueverunt. Neque sine justa ratione.

Primò namque certum & indubitatum est, tam ex evidentia rationis & naturæ Dei atque creaturæ; quàm ex assertione Sacrarum literarum, alium & disparem esse Spiritum, sapientiam, sensum

SPUR
ki
ascel
lis III
V
8